



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

X. Quod appellationi, pro qualicumque fiat causa leui, est deferendum: &  
de eo qui

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

appellasset, si legitime citatus non venerit, nec aliquem mi-  
sit responsalem, aut etiam alias parere contemnit, & in  
eum excommunicationis sententiam tulerit: tenebit ex-  
communicationis sententia in eum pro contumacia pro-  
mulgata, nisi agnouerit eum iudex ad audientiam no-  
stram appellasse. Denique in fine quaestionum tuarum  
quaris, si a ciuili iudice ante iudicium vel post ad no-  
stram audientiam fuerit appellatum, an huiusmodi ap-  
pellatio teneat. Tenet quidem in his, qui vestrae sunt epi-  
scopali iurisdictioni subiecti: in aliis vero etsi de consue-  
tudine ecclesiae teneat, secundum rigorem iuris tenere  
non credimus.

Tenete ex-  
communi-  
cationem  
post appel-  
latione iu-  
ste interpo-  
sitam.

Anno  
CXXXII  
1179.

C A P. VIII. *Idem Vaugornienſi episcopo.*

Ceterum cum aliquam causam contigerit tibi, appel-  
latione remota, fuisse commissam, & aduersa pars post  
factam citationem iter arripuerit ad sedem apostolicam  
veniendi, nihilo minus poteris in negotii cognitione se-  
cundum iuris formam procedere; quod vtique si ante ci-  
tationem factam iter arripuerit, non est aliquatenus pro-  
cedendum.

C A P. IX. *Idem Vaugornienſi episcopo.*

Super eo quod a nobis tua sollicitudo requisit, vtrum  
sententia pro appellatione, quam ex incidenti quaestione  
fieri saepe contigerit, fuerit suspendenda, licet causa fue-  
rit, appellatione remota, commissam: prudentiae tuae duxi-  
mus respondendum; quod si de aliqua exceptione sub-  
oriatur quaestio, & exinde appellationem fieri contingat,  
eidem exceptioni erit merito superfedendum: & si princi-  
palis causa sine illa terminari non poterit, ei nihilo minus  
superfedatur. Si autem aduersa pars de falsi suggestionem  
in appellationem proruperit, non est sententia propter  
hoc differenda, si in literis commissionis appellationis ob-  
staculum inhibeat.

Incidens  
principali  
praeiudicat.

C A P. X. *Idem eidem in eadem.*

De appellationibus quae in causis minimis fiunt, tuam  
volumus cognitionem tenere, quod eis, pro qualicum-  
que leui causa fiant, non minus in illis, quam pro maiori-

ANNO  
CHRISTI  
1179.

bus ad deferendum. Verum si appellantes suam contem-  
pserint appellationem, tu ipsos aut appellationem profe-  
qui, vel iudicio tuo stare, appellatione remota, districte  
compellas.

CAP. XI. *Idem Senonum archiepiscopo.*

Sicut Romana ecclesia omnium ecclesiarum, dispo-  
nente Domino, mater est, ita etiam nos, qui eidem eccle-  
sia, licet immeriti, supernae dispositionis prouidentia praes-  
sidemus, & prout Dominus nobis ministrauerit, consulta-  
tionibus singulorum cogimur respondere, & quae viden-  
tur dubia, apostolicae circumspeditionis prouidentia decla-  
rare. Sane quaesitum est a nobis ex parte tua, vtrum si ali-  
qua causa inter aliquos delegatis iudicibus, appellatione  
remota, committitur, & altera pars literis apostolicae pro-  
tectionis munita, quibus est ei generaliter indultum, vt  
libere sibi liceat appellare, si in vocem appellationis pro-  
ruperit, eius sit in eadem causa appellationi deferendum.  
Hoc ergo praesentibus literis inquisitioni tuae responde-  
mus, quod eius in hac parte appellationi non est aliquate-  
nus deferendum, postquam est iudicibus, appellatione  
remota, causa commissa, quia speciale mandatum dero-  
gat generali.

Speciale  
mandatum  
derogat ge-  
nerali.

CAP. XII. *Idem eidem in eadem epistola.*

Super eo quod interdum iudices delegati ab altera par-  
tium tamquam suspecti recusantur, hoc tuae prudentiae  
praesentibus literis innotescat, quod cum sacri Canones an-  
te & post litis decisionem, & in prolatione sententiae, &  
post sententiam singulis appellandi facultatem tribuunt,  
non admittunt aliud remedium praeter solam appellatio-  
nem, nisi in casu ante sententiam non admittunt. Verum  
in causis ecclesiasticis, vbi appellationis remedium tollitur,  
vtrumque remedium denegatur: & ita sicut appellationi,  
ita recusationi non est aliquatenus deferendum. Si autem  
infra certum temporis spatium aliquibus committitur lis  
decidenda, itaque contineatur in literis, causam post susce-  
ptionem literarum infra certum terminum terminari de-  
bere, extunc terminus incipit, cum eos quibus literae dele-  
gantur, easdem contigerit literas accepisse.

Sublata ap-  
pellatione,  
tollitur recusa-  
tionem.

Concil. Tom. 27.

Bbbb ij